

delegandi vicarios generales, præpositum capituli, majores decanos, decanos ad recipiendam fidei professionem dignitatum, canonicorum, parochorum, aliorumque ecclesiasticorum qui hanc professionem emittere tenentur, antequam munus ineant.

» Die 30 julii 1866. Sanctissimus D. N. audita relatione infra scripti prosecretarii S. C. Concilii, supradictis episcopi Atrebatensis oratoris precibus annuens, facultatem juxta petita per triennium proximum tantum eidem episcopo oratori benigne impertitus est, contrariis quibuscumque minime obstantibus. — P. card. Caterini præfectus; P. archiepiscopus Sardinianus prosecretarius. »

## ANIMADVERSIO XXXIV

INDULTUM PRO DISPENSATIONIBUS IN RADICE  
DENEGATUM.

« R. P. D. Episcopo Atrebatensi (Petro Ludovico Parisi).

» Illustrissime ac reverendissime Domine uti frater. In postulato a te proposito in relatione status istius Ecclesie ad S. C. concilii, die prima decembris 1864 transmissa, facultatem petebas qua posses in radice sanare pro certo casuum numero matrimonia ob aliquod detectum dirimens impedimentum irrita. Hoc postulatum de more delatum est ad examen hujus supremæ Sancti-Officii congregationis, et hæc summopore desideriis tuis satisfacere cuperet; at cum de re maximi momenti agatur, de dispensatione nempe quæ gravissimis urgentibus causis et inspectis peculiaribus cujusque casus adjunctis conceditur, idcirco EE. PP. cardinales una mecum supremi inquisitores ad te rescribendum censuerunt ut velis recurrere in casibus particularibus. Hæc sunt quæ a me communicanda erant tibi, cui interim fausta cuncta ac felicia precor a Domino, amplitudinis tuæ addictissimus uti frater. — C. card. Patrizi. Romæ die 30 junii 1865. »

## ANIMADVERSIO XXXV.

SYLLABUS COMPLECTENS PRÆCIPUOS NOSTRÆ ÆTATIS  
ERRORES QUI NOTANTUR IN ENCYCLICIS ALIISQUE  
APOSTOLICIS LITTERIS SS. D. N. PII PP. IX.

Epistola Eminentiss. card. J. Antonelli, ab exteris pontificiæ ditionis negotiis, qua Syllabus ex jussu Sanctissimi confectus ad sacrorum antistites mittitur :

« Illustriss. ac Reverendiss. domine. — Sanctissimus D. N. Pius IX pontifex maximus, de animarum salute ac de sana doctrina maxime sollicitus, vel ab ipso sui pontificatus exordio nunquam destitit suis epistolis encyclicis et allocutionibus in consistorio habitis, et apostolicis aliis litteris in vulgus editis, præcipuos hujus præserim infelicissimæ ætatis errores ac falsas doctrinas prohibere et damnare. Cum autem forte evenire potuerit ut omnia hæc pontificia acta ad singulos ordinarios

minime pervenerint, idcirco idem summus Pontifex voluit ut eorundem errorum Syllabus ad omnes universi catholici orbis sacrorum antistites mittendus conficeretur, quo iidem antistites præ oculis habere possint omnes errores ac perniciosas doctrinas quæ ab ipso reprobata ac proscripata sunt. Mihi vero in mandatis dedit ut hunc Syllabum typis editum ad te, illustriss. ac reverendiss. domine, perferendum curarem hac occasione ac tempore quo idem Pontifex maximus, pro summa sua de catholicæ Ecclesie ac totius dominici gregis sibi divinitus commissi incolumitate et bono sollicitudine, aliam encyclicam epistolam ad cunctos catholicos sacrorum antistites scribendam censuit. Eiusdem igitur Pontificis jussa omni certe alacritate, et uti par est obsequio efficiens, tibi, illustriss. ac reverendiss. domine, eundem Syllabum his litteris adjunctum mittere propero. Dum vero obsequentissimi mei in te animi sensus testari et confirmare vehementer gaudeo, fausta omnia et salutaria tibi a Deo Optimo Maximo ex corde adprecor. Dominationi tuæ illustriss. et reverendissimæ addictissimus servus, J. card. ANTONELLI. — Romæ die 8 decembris 1864.

« § I. Pantheismus, naturalismus et rationalismus absolutus.

» I. Nullum supremum, sapientissimum, providentissimumque numen divinum existit ab hac rerum universitate distinctum, et Deus idem est ac rerum natura, et idcirco immutationibus obnoxius, Deusque reapse fit in homine et mundo, atque omnia Deus sunt et ipsissimam Dei habent substantiam; ac una eademque res est Deus cum mundo, et proinde spiritus cum materia, necessitas cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo, et justum cum injusto. — Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.

» II. Neganda est omnis Dei actio in homines et mundum. — Ibidem.

» III. Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex, et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit. — Ibidem.

» IV. Omnes religionis veritates ex nativa humanæ rationis vi derivant; hinc ratio est princeps norma qua homo cognitionum omnium cujuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat. — Epist. encycl. *Qui pluribus*, 9 nov. 1846; epist. encycl. *Singulari quidem*, 17 martii 1856; alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.

» V. Divina revelatio est imperfecta et idcirco subiecta continuo et indefinito progressui qui humanæ rationis progressui respondeat. — Epist. encycl. *Qui pluribus*, 9 nov. 1846; alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.

» VI. Christi fides humanæ refragatur rationi; divinaque revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni. — Ibidem.

» VII. Prophetiæ et miracula in sacris litteris exposita et narrata sunt poetarum commenta, et

christianæ fidei mysteria philosophicarum investigationum summa; et utriusque Testamenti libris mythica continentur inventa; ipseque Jesus Christus est mythica fictio. — Ibidem.

» § II. Rationalismus moderatus.

» VIII. Quum ratio humana ipsi religioni æquiparetur, idcirco theologica disciplina perinde ac philosophica tractanda sunt. — Alloc. *Singulari quadam perfusi*, 9 decembris 1854.

» IX. Omnia indiscriminatim dogmata religionis christianæ sunt objectum naturalis scientiæ seu philosophiæ; et humana ratio, historice tantum exulta, potest ex suis naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam reconditiore dogmatibus scientiam pervenire, modo hæc dogmata ipsi rationi tanquam objectum proposita fuerint. — Epist. ad archiepiscopum Frisingensem *Gravissimas*, 11 decembris 1862; epist. ad eundem *Tuas libenter*, 21 decembris 1863.

» X. Quum aliud sit philosophus, aliud philosophia, ille jus et officium habet se submittendi auctoritati quam veram ipse probaverit; at philosophia neque potest, neque debet ulli sese submittere auctoritati. — Ibidem.

» XI. Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debet ipsius philosophiæ tolerare errores, eique relinquere ut ipsa se corrigat. — Epist. ad archiep. Frising. *Gravissimas*, 11 dec. 1862.

» XII. Apostolicæ Sedis, romanarumque congregationum decreta liberum scientiæ progressum impediunt. — Epist. ad eundem *Tuas libenter*, 21 dec. 1863.

» XIII. Methodus et principia, quibus antiqui doctores scholastici theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt. — Ibidem.

» XIV. Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita ratione. — Ibidem.

» N. B. Cum rationalismi systemate coherent quoad maximam partem errores Antonii Günther, qui damnantur in epist. ad card. archiepiscopum Coloniensem *Eximiam tuam*, 15 junii 1847, et in epist. ad episcopum Wratislaviensem *Dolore haud mediocri*, 30 april. 1860.

» § III. Indifferentismus, latitudinarismus.

» XV. Liberum cuique homini est eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit. — Litt. apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851; alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.

» XVI. Homines in cujusvis religionis cultu viam æternæ salutis reperire æternamque salutem assequi possunt. — Epist. encycl. *Qui pluribus*, 9 nov. 1846; alloc. *Ubi primum*, 17 dec. 1847; epist. encycl. *Singulari quidem*, 17 martii 1856.

» XVII. Saltem bene sperandum est de æterna illorum omnium salute qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur. — Alloc. *Singulari quadam*, 9 decembris 1854; epist. encycl. *Quanto conficiamur*, 17 augusti 1863.

» XVIII. Protestantismus non aliud est quam diversa veræ ejusdem christianæ religionis forma, in qua æque ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est. — Epist. encycl. *Noscitis et nobiscum*, 8 dec. 1849.

» § IV. Socialismus, communismus, societates clandestinæ, societates biblicæ, societates clerico-liberales.

» Ejusmodi pestes sæpe gravissimisque verborum formulis reprobantur in epist. encycl. *Qui pluribus*, 9 nov. 1846; in alloc. *Quibus quantisque*, 20 april. 1849; in epist. encycl. *Noscitis et nobiscum*, 8 dec. 1849; in alloc. *Singulari quadam*, 9 dec. 1854; in epist. encycl. *Quanto conficiamur morore*, 10 aug. 1863.

» § V. Errores de Ecclesia ejusque juribus.

» XIX. Ecclesia non est vera perfecta que societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire quæ sint Ecclesie jura ac limites, intra quos eadem jura exercere queat. — Alloc. *Singulari quadam*, 9 dec. 1854; alloc. *Multis gravibusque*, 17 dec. 1860; alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.

» XX. Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civili gubernii venia et assensu. — Alloc. *Meminit unusquisque*, 30 sept. 1861.

» XXI. Ecclesia non habet potestatem dogmaticæ definiendi religionem catholicæ Ecclesie esse unice veram religionem. — Litt. apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851.

» XXII. Obligatio, qua catholici magistri et scriptores omnino astringuntur, coarctatur in iis tantum quæ ab infallibili Ecclesie judicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur. — Epist. ad archiep. Frising. *Tuas libenter*, 21 dec. 1863.

» XXIII. Romani Pontifices et concilia œcumenica a limitibus suæ potestatis recesserunt, jura principum usurparunt, atque etiam in rebus fidei et morum definiendis errarunt. — Litt. apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851.

» XXIV. Ecclesia vis inferendæ potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam. — Litt. apost. *Ad apostolicæ*, 22 aug. 1851.

» XXV. Præter potestatem episcopatus inhærentem alia est attributa temporalis potestas a civili imperio vel expresse vel tacite concessa, revocanda propterea, cum libuerit, a civili imperio. — Ibidem.

» XXVI. Ecclesia non habet nativum ac legitimum jus acquirendi ac possidendi. — Alloc. *Nunquam fore*, 15 dec. 1856; epist. encycl. *Incredibili*, 17 sept. 1863.

» XXVII. Sacri Ecclesie ministri romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi. — Alloc. *Maxima quidem*, 9 jun. 1862.

» XXVIII. Episcopis sine gubernii venia fas non est vel ipsas apostolicas litteras promulgare. — Alloc. *Nunquam fore*, 15 dec. 1856.

- » XXIX. Gratia a romano Pontifice concessa existimari debent tanquam irritae, nisi per gubernium fuerint impletae. — Ibidem.
- » XXX. Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas a jure civili ortum habuit. — Litt. apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851.
- » XXXI. Ecclesiasticum torum pro temporalibus clericorum causis, sive civilibus sive criminalibus, omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante apostolica Sede. — Alloc. *Acerbissimum*, 27 sept. 1852; alloc. *Nunquam fore*, 15 dec. 1856.
- » XXXII. Absque ulla naturalis juris et æquitatis violatione potest abrogari personalis immunitas qua clerici ab onere subeundæ exercendæque militiæ eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta. — Epist. ad episcopum Montisregii *Singularis nobisque*, 29 sept. 1864.
- » XXXIII. Non pertinet unice ad ecclesiasticam jurisdictionis potestatem proprio ac nativo jure dirigere theologiarum rerum doctrinam. — Epist. ad archiep. Frising. *Tuas libenter*, 21 dec. 1863.
- » XXXIV. Doctrina comparantium romanum Pontificem principi libero et agenti in universa Ecclesia doctrina est quæ medio ævo prævaluit. — Litt. apost. *Ad apostolicæ*, 22 aug. 1851.
- » XXXV. Nihil vetat alicujus concilii generalis sententia, aut universorum populorum facto, summum pontificatum ab romano episcopo atque urbe ad alium episcopum aliamque civitatem transferri. — Ibidem.
- » XXXVI. Nationalis concilii definitio nullam aliam admittit disputationem, civilisque administratio rem ad hosce terminos exigere potest. — Ibidem.
- » XXXVII. Institui possunt nationales Ecclesiae ab auctoritate romaui Pontificis subductæ planeque divisæ. — Alloc. *Multis gravibusque*, 17 dec. 1860; alloc. *Jamdudum cernimus*, 18 mart. 1861.
- » XXXVIII. Divisioni Ecclesiae in orientalem atque occidentalem nimia romanorum Pontificum arbitria contulerunt. — Litt. apost. *Ad apostolicæ*, 22 aug. 1851.
- » § VI. Errores de societate civili tum in se, tum in suis ad Ecclesiam relationibus spectata.
- » XXXIX. Reipublicæ status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus. — Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.
- » XL. Catholica Ecclesiae doctrina humanae societatis bono et commodis adversatur. — Epist. encycl. *Qui pluribus*, 9 nov. 1846; alloc. *Quibus quantisque*, 20 april. 1849.
- » XLI. Civili potestati, vel ab infideli imperante exercitæ, competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit nedum jus quod vocant *exequatur*, sed etiam jus *appellationis* quam nuncupat *ab abusu*. — Litt. apost. *Ad apostolicæ*, 22 aug. 1851.

» XLII. In conflictu legum utriusque potestatis jus civile prævalet. — Ibidem.

» XLIII. Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas solemnes conventiones vulgo *concordata*, super usu jurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede apostolica initas, sine hujus consensu, imo et ea reclamante. — Alloc. *In consistoriali*, 1 nov. 1850; alloc. *Multis gravibusque*, 17 dec. 1860.

» XLIV. Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quæ ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus judicare quas Ecclesiae pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt; quin etiam potest de divinorum sacramentorum administratione et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere. — Alloc. *In consistoriali*, 1 nov. 1850; alloc. *Maxima quidem*, 9 jun. 1862.

» XLV. Totum scholarum publicarum regimen, in quibus juvenus christianæ alicujus reipublicæ instituitur, episcopalibus dumtaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui ut nullum alii cuiquam auctoritati recognoscatur jus immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in gradu collatione, in delectu aut approbatione magistrorum. — Alloc. *In consistoriali*, 1 nov. 1850; alloc. *Quibus luctuosissimis*, 5 sept. 1851.

» XLVI. Imo in ipsis clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subjicitur. — Alloc. *Nunquam fore*, 15 dec. 1856.

» XLVII. Postulat optima civilis societatis ratio ut populares scholæ, quæ patent omnibus cujusque e populo classis pueris, ac publica universim instituta, quæ litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi juventutis curandæ sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiae auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicae auctoritatis arbitrio subjiciantur, ad imperantium placita et ad communium ætatis opinionum amussim. — Epist. ad archiep. Friburgensem *Quam non sine*, 14 julii 1864.

» XLVIII. Catholicis viris probari potest ea juventutis instituendæ ratio, quæ sit a catholica fide et ab Ecclesiae potestate sejuncta, quæque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenæ socialis vitæ fines tantummodo vel saltem primario spectet. — Ibidem.

» XLIX. Civilis auctoritas potest impedire quominus sacrorum antistites et fideles populi cum romano Pontifice libere ac mutuo communicent. — Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.

» L. Laica potestas habet per se jus presentandi episcopos, et potest ab illis exigere ut ineant diocesium procuracionem antequam ipsi canonicam a Sancta Sede institutionem et apostolicas litteras accipiant. — Alloc. *Nunquam fore*, 15 dec. 1856.

» LI. Imo laicum gubernium habet jus deponendi ab exercitio pastoralis ministerii episcopos, neque tenetur obedire romano Pontifici in iis quæ

episcopatum et episcoporum respiciunt institutionem. — Litt. apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851; alloc. *Acerbissimum*, 27 sept. 1852.

» LI. Gubernium potest suo jure immutare ætatem ab Ecclesia præscriptam pro religiosa tam mulierum quam virorum professione, omnibusque religiosis familiis indicare ut neminem sine suo permisso ad solemnia vota nuncupanda admittant. — Alloc. *Nunquam fore*, 15 dec. 1856.

» LIII. Abrogandæ sunt leges quæ ad religiosarum familiarum statum tutandum, earumque jura et officia pertinent, imo potest civile gubernium iis omnibus auxilium præstare qui a suscepto religiosæ vitæ instituto deficere ac solemnia vota frangere velint; pariterque potest religiosas easdem familias perinde ac collegiatis ecclesias et beneficia simplicia, etiam jurispatronatus, penitus extinguere, illorumque bona et redditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subjicere et vindicare. — Alloc. *Acerbissimum*, 27 sept. 1852; alloc. *Probe memineritis*, 22 januar. 1855; alloc. *Cum sæpe*, 26 julii 1855.

» LIV. Reges et principes non solum ab Ecclesiae jurisdictione eximuntur, verum etiam in quæstionibus jurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesiae. — Litt. apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851.

» LV. Ecclesia a statu, statusque ab Ecclesia sejungendus est. — Alloc. *Acerbissimum*, 27 sept. 1852.

» § VII. Errores de ethica naturali et christiana.

» LVI. Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est ut humanae leges ad naturæ jus conformentur aut obligandi vim a Deo accipiant. — Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.

» LVII. Philosophicarum rerum morumque scientia, item civiles leges possunt et debent a divina et ecclesiastica auctoritate declinare. — Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.

» LVIII. Aliæ vires non sunt agnoscendæ nisi illæ quæ in materia positæ sunt, et omnis morum disciplina honestasque collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis ac in voluptatibus explendis. — Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862; epist. encycl. *Quanto conficiamur*, 10 aug. 1863.

» LIX. Jus in materiali facto consistit, et omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta juris vim habent. — Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.

» LX. Auctoritas nihil aliud est nisi numeri et materialium virium summa. — Ibidem.

» LXI. Fortunata facti injustitia nullum juris sanctitati detrimentum affert. — Alloc. *Jamdudum cernimus*, 18 martii 1861.

» LXII. Proclamandum est et observandum principium quod vocant de non interventu. — Alloc. *Novos et ante*, 28 sept. 1860.

» LXIII. Legitimis principibus obedientiam tractare, imo et rebellare licet. — Epist. encycl. *Qui pluribus*, 9 nov. 1846; alloc. *Quisque vestrum*,

4 oct. 1847; epist. encycl. *Noscitis et nobiscum*, 8 dec. 1849; litt. apost. *Cum catholica*, 26 martii 1860.

» LXIV. Tum cujusque sanctissimi sacramenti violatio, tum quælibet scelestæ, flagitiosaque actio sempiternæ legi repugnans, non solum haud est improbanda, verum etiam omnino licita, summisque laudibus efferenda, quando id pro patriæ amore agatur. — Alloc. *Quibus quantisque*, 20 april. 1849.

» § VIII. Errores de matrimonio christiano.

» LXV. Nulla ratione ferri potest Christum erexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti. — Litt. apost. *Ad apostolicæ*, 22 aug. 1851.

» LXVI. Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est. — Ibidem.

» LXVII. Jure naturæ matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest. — Ibidem et alloc. *Acerbissimum*, 22 sept. 1852.

» LXVIII. Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonii dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt. — Litt. apost. *Multiplices inter*, 10 jun. 1851.

» LXIX. Ecclesia sequioribus sæculis dirimentia impedimenta inducere cepit, non jure proprio, sed illo jure usa quod a civili potestate mutuata erat. — Litt. apost. *Ad apostolicæ*, 22 aug. 1851.

» LXX. Tridentini canones qui anathematis censuram illis inferunt quibus qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiam negare audent, vel non sunt dogmatici, vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt. — Ibidem.

» LXXI. Tridentini forma sub infirmitatis pœna non obligat, ubi lex civilis aliam formam præstituat et velit, hac nova forma interveniente, matrimonium valere. — Ibidem.

» LXXII. Bonifacius VIII votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere prius asseruit. — Ibidem.

» LXXIII. Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium; falsumque est aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum, si sacramentum excludatur. — Ibidem, et « lettera di SS. Pio IX al re di Sardegna, « 9 settembre 1852 »; alloc. *Acerbissimum*, 29 sept. 1852; alloc. *Multis gravibusque*, 7 decembris 1860.

» LXXIV. Causæ matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent. — Litt. apost. *Ad apostolicæ*, 22 aug. 1851; alloc. *Acerbissimum*, 27 sept. 1852.

» N. B. Huc facere possunt duo alii errores de clericorum celibatu abolendo et de statu matrimonii statui virginitatis antefendo. Confodiuntur prior in epist. encycl. *Qui pluribus*, 9 nov. 1846; posterior in litteris apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851.

» § IX. Errores de civili romani Pontificis principatu.

» LXXV. De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianæ et catholicæ Ecclesiæ filii. — Litt. apost. *Ad apostolicam*, 22 aug. 1851.

» LXXVI. Abrogatio civilis imperii, quo apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiæ libertatem felicitatemque vel maxime conduceret. — Alloc. *Quibus quantisque*, 20 april. 1849.

» N. B. Præter hos errores explicite notatos, alii complures implicite reprobantur, proposita et asserta doctrina quam catholici omnes firmissime retinere debeant de civili romani Pontificis principatu. Ejusmodi doctrina luculenter traditur in alloc. *Quibus quantisque*, 26 april. 1849; in alloc. *Si semper antea*, 20 maii 1850; in litteris apost. *Cum catholica Ecclesia*, 26 martii 1860; in alloc. *Novos*, 28 sept. 1860; in alloc. *Jamdudum*, 18 martii 1861; in alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.

» § X. Errores qui ad liberalismum hodiernum referuntur.

» LXXVII. Novarum institutionum, quas constitutionales vocant, petitiones et progressus civili religiosæque societati universim prodesse censendi sunt. — Alloc. *Quibus quantisque*, 20 april. 1849.

» LXXVIII. Ætate hac nostra non amplius expedit religionem catholicam haberi tanquam unicam status religionem, cæteris quibuscumque cultibus exclusis. — Alloc. *Nemo vestrum*, 29 julii 1855.

» LXXIX. Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est ut hominibus illic immigrantibus liceat publicum proprii cujusque cultus exercitium habere. — Alloc. *Acerbissimum*, 27 sept. 1852.

» LXXX. Enimvero falsum est civilem cujusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi, conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos ac indifferentissimi pestem propagandam. — Alloc. *Nunquam fore*, 15 dec. 1856.

» LXXXI. Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere. — Alloc. *Jamdudum cernimus*, 18 martii 1851.

» LXXXII. Presentes Italiæ motus rerumque conversiones nullum habent characterem religiosum, sed politicum duntaxat. — Alloc. *Omnibus votum*, 13 julii 1860; alloc. *Novos*, 28 sept. 1860; alloc. *Jamdudum*, 18 martii 1861.

Textum hujus Syllabi sub præsentis animadversione inserere necessarium duximus, et quidem e genuino fonte depromptum, exemplari scilicet typis impresso et propriis manibus illustrissimo ac reverendissimo DD. Plantier, episcopo Nemausensi, dato ab ipso Sanctissimo D. N. Pio IX. Non est dubium quin exemplaria, ad antistites orbis catholici una cum epistola eminentiss. cardinalis Antonelli missa, sint plane conformia textui præcitato. Attamen in Syllabo, per typos reverendæ cameræ

apostolicæ anno 1865 evulgato, desiderantur propositiones duæ, illæ scilicet quæ sub nn. LXXVII et LXXXII referuntur. Unde fit ut in priori textu duo super octoginta errores enumerentur, dum in posteriori, necnon in libris conformiter impressis, octoginta tantum deprehenduntur.

## ANIMADVERSIO XXXVI.

LITTERÆ APOSTOLICÆ AD ARCHIEPISCOPUM PARIENSEM ANNO 1865 DIRECTÆ.

« Venerabili fratri Georgio, archiepiscopo Parisiensi, Lutetiam Parisiorum, Pius PP. IX.

» Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. Ex epistola quam manu nostra exaratam, die 24 mensis novembris, anno proxime superiore, ad te dedimus, per facile noscere potuisti, venerabilis frater, paternam nostram in te benevolentiam. Ea profecto spe nitebamur fore ut, illis amantis nostri in te animi sensibus permotus, velles nostræ erga te dilectioni studiosissime respondere, nostrisque desideriis perlibenter obsecundare, tuamque erga nos et hanc Petri cathedram observantiam ac devotionem luculenter ostendere, veluti catholicum antistitem omnino decet. Atque eo magis id sperabamus quod, cum ad istam Parisiensem archiepiscopalem Ecclesiam fuisti designatus, tuas ad nos litteras perferendas curasti, quibus profitebaris te nobis et huic Apostolicæ Sedi esse addictissimum et summa nos eamdemque Sedem reverentia colere. Hac igitur spe freti, in commemorata nostra epistola ne verbum quidem facere existimavimus de tuis litteris, kalendis mensis septembris, eodem superiore anno datis, quibus respondisti nostræ epistolæ, die 26 aprilis ejusdem anni tibi scriptæ, circa aliquas res ad istam tuam dioccesim pertinentes, quæ tuæ litteræ non leviter nobis admirationi et tristitiæ fuerunt, cum ex illis, præter omnem expectationem nostram intellexerimus te eas habere opiniones quæ divino Romani Pontificis in universam Ecclesiam primatui omnino adversantur.

» Et sane asserere non dubitas Romani Pontificis potestatem in episcopales dioceses nec ordinariam nec immediatam esse. Opinari Romanum Pontificem tunc duntaxat in alienam dioccesim posse suam interponere auctoritatem, quando diocesis ipsa ita aperte sit inordinata ac perturbata ut Summi Pontificis interventus sit unicum remedium quo animarum saluti et pastorum negligentiam consulatur. Divinum autem jus, ex quo episcopus est solus in sua diocesi iudex, minime recognosci arbitraris, cum Summus Pontifex extra commemoratum evidentis necessitatis casum sese diocesis negotiis commiscet; atque existimas dioccesim canonicè erectam, in qua hierarchia est constituta, in missionum regiones converti, si Romanus Pontifex extra prædictum casum, suam potestatem erga dioccesim exerceat. Insuper, in sermone potissimum a te ad istum senatum habito, affirmasti

abusum esse appellationes ad hanc Apostolicam Sedem, et oppugnans jus quo singuli fideles potiuntur appellandi ad Summum Pontificem, et inquis id impedire ac prope impossibilem reddere diocesis administrationem.

» Dum vero hanc doctrinam manifestare minime hæsitasti, clare aperteque declarasti quibus modis uti velis ad eam firmiter servandam. Namque significasti tibi in animo esse totis viribus obsistere et curare ne directus Romani Pontificis interventus extra sæpe repetitum necessitatis casum locum habeat, asserens regularium et istius nuntiaturæ et romanarum congregationum agendi rationem eo spectare ut Summi Pontificis interventus directe in dioceses inducatur. Ac præterea ais te velle, tum alios venerabiles fratres Gallia sacrorum antistites excitare ut una tecum conspirent, tum ad vulgus appellare apta adhibita instructione.

» Eodem autem sermone a te penes istum senatum recitato haud veritus es varios in medium proferre modos supremæ Romani Pontificis et Apostolicæ hujus Sedis auctoritati maxime contrarios, retinendi scilicet apostolicas litteras, illasque civiles auctoritatis arbitrio placitoque subjiciendi, et confugiendi ad laicam potestatem. Quo sermone, typis in lucem deinde edito, verba etiam faciendi de articulis organicis, quamdam eisdem auctoritatem et reverentiam deferendam censuisti, utpote respondentibus præexistenti et graviori societatis conditioni ac necessitati, cum haud ignores quomodo Apostolica Sedes contra eosdem articulos a laica potestate editos et catholicæ Ecclesiæ doctrinæ ejusque juribus ac libertati adversos protestari nunquam omiserit.

» Equidem, venerabilis frater, nunquam credere potuissemus te hisce sensibus esse animatum, nisi illos ex prædictis tuis litteris mense septembris ad nos datis, et ex memorato tuo sermone, cum summo animi nostri dolore agnovissemus. Non possumus enim non vehementer dolere et angi, cum præter omnem opinionem cogitationemque nostram, hac tua sentiendi agendique ratione videaris favere falsis et erroneis Febronii doctrinis, quas, uti noscisci, hæc Sancta Sedes reprobavit, damnavit, et catholici scriptores doctissimis operibus reprobarunt et profligarunt; ac per te ipsum per facile intelligere potes, venerabilis frater, quanta afficiamur admiratione, dum animo reputamus eas a te proferri sententias, quæ catholicæ doctrinæ repugnant et a quibus idcirco, uti Ecclesiæ catholicæ antistes, vel maxime abhorrrere debes.

» Et quidem asserendo Romani Pontificis potestatem in singulas dioceses non esse ordinariam sed extraordinariam, propositionem enuntias omnino adversam concilii IV Lateranensis definitioni, in qua luculentissima ac decretoria illa leguntur verba: « Romana Ecclesia, disponente Domino, » super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi » fidelium, et magistra (Conc. IV. cap. 5), » scilicet eorum omnium qui pertinent ad Christi

gregem. Quæ gravissima ejusdem concilii verba tibi apprimè nota ac perspecta esse debent, venerabilis frater. Neque ignorare potes eandem tuam propositionem plane contrariam esse constanti usui et doctrinæ ab universali catholica Ecclesia, omnibusque ejus episcopis cum omni veneratione exceptæ ac traditæ secundum quam, tum præsentibus, tum præteritis ætatibus, Ecclesia semper tenuit ac docuit, et docet ac tenet divina illa verba « pascere » agnos meos; pascere oves meas » beatissimo Apostolorum principi ita a Christo Domino dicta fuisse, ut eorundem verborum vi, omnes et singuli fideles Petro, ejusque successoribus, velut supremis et ordinariis totius Ecclesiæ omniumque sacrorum antistitibus, immediate subjecti esse debeant, sicuti ipsi Christo Domino, cujus Romanus Pontifex verus est his in terris vicarius ac totius Ecclesiæ caput omniumque christianorum pater et doctor.

» Non parum autem miramur, cum, quin forsitan animadverteris, ex Febronianis placitis sentias, ex commemorata doctrina, dioceses in missionum regiones et episcopos in vicarios apostolicos converti, cum omnes cognoscant a catholicis merito responderi id tam esse falsum quam falsum est asserere in civili ordine ordinarios provinciarum præfectos, iudices, aliosque magistratos non posse amplius nominari magistratos ordinarios, propterea quod rex vel imperator directa seu immediata et ordinaria potestate in singulos sibi subditos potiuntur. Quæ aptissima sane similitudine utitur doctor angelicus cum inquit: « Papa habet plenitudinem » pontificalis potestatis, quasi rex in regno; sed » episcopi assumuntur in partem sollicitudinis, » quasi iudices singulis civitatibus præpositi (S. Th. » suppl. III part. q. 26, art. 3). »

» Atque etiam non possumus non mirari te, venerabilis frater, queri de petitionibus et appellationibus quæ ad Romanum Pontificem deferuntur, quæque ab ipso excipiuntur, quandoquidem, uti catholicus antistes, scire optime debes, appellationum jus ad Apostolicam Sedem, veluti inquit immortalis memoriæ Benedictus XIV decessor noster, « adeo necessario connexum cum Romani » Pontificis in universam Ecclesiam jurisdictionis » primatu ut nemo possit illud in controversiam » adducere, nisi et hunc velit præfracte inficari » (Bened. XIV, de *Synodo dioc.*, lib. IV, cap. 5). » Quodquidem jus adeo omnibus fidelibus notum est ut S. Gelasius prædecessor item noster (Epist. 7 ad episc. Dardan.) scriberet: « Cuncta per munus » dum novit Ecclesia quoniam quorumlibet sententias » ligata pontificum Sedes beati Petri apostoli, » fas habeat resolvendi, utpote quod de omni » Ecclesia jus habeat judicandi, neque cuiquam de » ejus liceat judicare iudicio; si quidem ad » illam de qualibet mundi parte canones appellari » voluerint, ab illa autem nemo sit appellare » permissus. »

» Hinc admirationem moves, cum affirmas hujusmodi Apostolicæ Sedis morem excipiendi eorum queelas, qui ab episcoporum iudicio ad